

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et  
Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra  
aetate doctissimum diuersis temporibus missae**

**Reuchlin, Johannes**

**Hagenoae, 1519**

Erasmus Capnioni

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

IO. REUCHLIN. LIBER SECVND.

rum commendauit, haud quaquam more uulgari, atq; id nomi-  
 natim adiecit, se id suapte sponte facere, nec a me nec a quoquam  
 ut id faceret rogatum. Responderat uterq; Cardinalis, uerum hæ  
 literæ in tuam Germaniam missæ sunt ad Ricardum Pacorum,  
 hominem egregie doctum, qui nunc apud Eluetios oratorem  
 gerit. Quin & Pontificis Breuia mihi non ante sunt reddita, quã  
 in Angliã rediissem, quã si in tempore fuissent reddita, fortassis  
 & Hieronymum Leoni dedicassem. Mihi uix dum in Brabãtiam  
 reuerso, Illustrissimus Princeps meus Carolus Præbendam dona-  
 uit, satis & honorificam & copiosam. Reuisi Britanniam, saluta-  
 rus Mæcenates meos, & amicos ueteres, Reperi multo nostri q̃  
 reliqueram a mantiores. Archiepiscopus cum semper amarit uni-  
 ce, nunc tantum adiunxit ueteri in me studio, ut ante parũ ama-  
 se uideri possit. Omnia sua mihi detulit, recusaui pecuniam. Abe-  
 unti donauit equum, & calicem cum operculo elegantissimum  
 inauratum, pollicitus apud mensarios pecuniam quantamcunq;  
 iussit se depositurum. Nouum Testamentum plurimos amicos  
 mihi cõciliauit ubiq;, tametsi nonnulli strenue reclamant, p̃ser-  
 tim initio, sed hi in absentem tantum, & ferme tales, ut nec lege-  
 rint opus meum, & si legerent, non intellecturi. Scribe ad nos fre-  
 quenter doctissime Reuchline. Quicquid Antuerpiã miseris, ad  
 Petrum Aegidium Scribam publicũ, id mihi certo reddetur. Be-  
 ne uale Germaniæ nostræ decus. Si Philippum Iuuenem ad Ros-  
 fensem miseris, tuis commendatum literis, mihi crede, tractabi-  
 tur humanissime, & ad amplissimam fortunam prouehetur. Nec  
 usquam contingeret plus ocii ad optimas literas. Fortassis ille sitit  
 Italiam. At his temporibus Italiam habet Anglia, & ni plane fal-  
 lor, quiddam Italia præstantius, Rursum uale. Calecii. VI. KAL.  
 Septembres.

Erasmus CapNioni.

**C**VM has literas parassẽm ad primam γραμμαρφόρη copiam  
 Redditæ sunt Antuerpiæ tuæ literæ, sed Mense Iulio scri-  
 ptæ, quas ego ad finem Septẽbris accepi, ad has ut paucissi-  
 mis respondeam. Erat quidem mei officii doctissime Reuchline  
 literis tibi gratias agere pro Codice, hoc est deliciis tuis, nobis cõ-

E P I S. I L L V S T. V I R O R V M A D

modato missis, Sed Frobenius in causa fuit, qui me non admoni-  
to librū remiserat. Nānias meas, tuo hoc est doctissimi optimiq;  
uiri calculo comprobari uehementer gaudeo. Certe tam, q; tua  
præ meis contemnis, age ne nimis amice, & modeste plus satis. Et  
infelicitatem tuam deploras t̄ qui foelicissimo illo seculo uide-  
ris Italiam, florente Agricola, Politiano, Hermolao, Pico, cui tam  
uaria tanq; recondita contigerit eruditio, qui tot summis uir-  
tutibus notus ac familiaris fueris. Qui nunc quoq; optimis ac doctissi-  
mis quibusq;, sic charus sis & adamat, ut si pater esses, omnibus  
intimius charus esse non possis. Adorat te propemodum Episco-  
pus Roffensis. Ioanni Coletō sacrum est tuum nomen. Quod ni-  
minister perdidisset epistolam tuam, haberet eam ( ut aiebat ) in  
ter sacras reliquias. Nuper inuisi MONASTERIUM perue-  
tustum Cartusienſium apud Sanctum Odomarum Artesiæ op-  
pidum. Eius loci Prior, è tuis libris mire literas hebraicas assecutus  
est, nullo præceptore. Tibi uero sic dedit, ut nomē etiam ipsum  
ueneret. Erat forte apud me quædam epistola tua, quam ubi sen-  
sit tua scriptam manu, obnixè rogauit ut apud se relinquerem. Eā  
identidem exosculans. Non pauci sunt, mi Reuchline, hoc in te  
animo. Quod tua uirtute contentus negligis hominum maleuo-  
lentiam laudo. Ipsa uirtus abunde magnum sui præmiū. Et si pa-  
rū agnoscit hæc ætas, agnoscet posteritas, deniq; agnoscet Christus  
cui tui militant labores. Scribe uel paucis Coletō, is iam senex  
græcatur. Roffensis etiā processit foeliciter. Rursum uale doctissi-  
me Reuchline, Antuerpiæ. III. KAL. Octob. Ex ædib. Petri Egi-  
dii publici Scribæ, ad quas si quid miseris, id mihi facile reddet.

¶ Amici sunt Reuchlino In Anglia Doctissimi.

M. Guilielmus Grocinus Theologus.

Thomas Linacrus Medicus Regius.

Cutbertus Dunstanus Iureconsultus, Archiepiscopi Cantuarien-  
sis Cancellarius. Guilielmus Latamerus Theologus.

Iohannes Coletus Decanus S. Pauli Londini

Thomas morus Londoniensis Iudex & Aduocatus disertissimus.

Andreas Ammonius Secretarius Lucēsis, doctissimus. Omnes sci-  
unt græce excepto Coletō.